Yndice


ANGELIS SVIS DEVS MANDAVIT DE TE VT CVSTODIANT TE IN OMNIBVS VIIS TVIS, IN MANIBVS PORTABVNT TE. SPLM. 90,
Bartholomeo de Artiaga sculp.
Fr. Joanes guerrero Inventor.
S. Petrus Nolascus Fundator Ordinis B.e M.e de M.d
Homo Sanctitate et charitate Insignis. Frequenter.
Cum xpo domino, Beata Maria, et Angelo Custod.
Vissibiliter, coloquebatur. Oppressus ab infir
mitate, ab angelo in chorum portabatur, ad
horas decantandas. multis patratis miraculis.
eflavit animam. prope sexagenarius. Anno 1256
ex prosecess. santit.

AVGVSTAE,

NEC NON ORIGINE COELESTIS

REDEMPTORVM FAMILIAE DEIPARAE semper Immaculatæ coruſcanti Phœbo, cui inter orandum prò oppreſis feruentiſsimo affectu panditur apertè Domus Omnipotentis Olympi,

Ut Angelorum Regina

Serenâ fronte ſe conſpiciendam offerens, Ordinis in Charitate radicati, & in óbſequium Fidei fundati primum Hierarcham ipſum pronuntiet, & ſecundum Redemptorem libentiſsimè adſtruat:

CVI, PRIMI REDEMPTORIS ADINSTAR venti redduntur ſecundi, ſicque mare ſubiacet, vt ſuam ardentiſsimam Charitatem, iam iam ab incunabulis in argumentoſo apum adumbratam examine, criſpati extinguère nequirent vortices:

Sanctiſsimo, inquam, Patri Noſtro

D. PETRO NOLASCO

SVA VANDALORVM PROVINCIA Capitulo congregata hæc ex prima Angelici Doctoris parte Theoremata, parulum munus, etſi non parui affectus, in eius commendatiſsimum cultum affectiſsima reuerenter dicat, ſupplex ſacrat, & gratiſsima offert.

QVÆS-


IHS

QVAESTIO Anteloquialis.

EX SVPERNIS DEIPARÆ amplexibus quid impetrauit Nolascus?

I. THEOREMA.

CVM Fides sit ex auditu, & prædicatione iuxta illud ad Roman. 10. verſ. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* præter Physicas disciplinas, necessariam apponimus cum Sanctis Patribus Theologiam, cuius rationes rerum credendarum ostendunt posibilitatem, & de illa asserimus esse verè, & propriè scientiam, tàm in via, quàm in Patria, licèt in via sit in statu imperfecto, rationes practici, & speculatiui formaliter eminenter in se includentem; habereque pro obiecto adæquato attributionis ipsum Deum sub ratione Deitatis.

II. THEOREMA.

SVPREMI Numinis necessariam existētiam innatum lumen intellectus nostri, adhùc pusillum, demonstratione cōuincit, Fideiquè orthodoxæ infallibilitas sancit; sed ita est cum essentia eadem, vt solummodò penès explicitum, & implicitum distinguantur. Subsantia autèm hęc, cum sit omnium nobilissima, adeò est excelleas, vt illa nil melius, aut æquè bonum excogitari possit, vtpotè omnes perfectiones simpliciter simplices formalitèr, & quamlibet aliam eminenter continente. Ita infinitè est immaterialis, vt summò spiritualis sit, omnino simplex, actus purissimus, incorporeus, immaterialis, & incorruptibilis per essentiam.

III. THEOREMA.

CREATVS Noster intellectus, dum ad Patriæ peruenerit fœlicitatem, faciali Dei visione perfrui valet. Hinc tamèn in ipso nō appetitum innatum, & efficacem in prędictam visionem positiuè tendentem, sed solùm appetitum elicitum inefficacem nos admittimus. Ast cum intuitiua illa, & supernaturalis visio nequaquā intellectui nostro euenire valeat, nisi per hoc, quod Deus intra eiusdem intellectus obiecti adæquati contineatur terminos, vltrò talem fatemur continentiam; etiam si videamus obiecti proportionati subterfugere metas. Sub actiuitate potentiæ corporeæ non cadit, itaquè à nulla creatura oculis corporeis videri potest.

IV. THEO-

IV. THEOREMA.

AD Hanc Cœlicam visionem duo principia concurrunt, alterum sub iectiuum, obiectiuũ alterum: primum, quo, vel permanenter, vel saltèm transeunter communicato, indiget intellectus, vt eleuetur, & perficionetur ad prædictam visionem eliciendam, est lumen gloriæ, quod est qualitas quædam, ita indispensabilitèr necessariò inhærens intellectui, vt abrepugnans sit, adhùc Dei attento absoluto posse, eius absentiam per extrinsecum Dei auxilium, vel extrinsecam Dei assistentiam suppleri. Impossibilis est substantia supernaturalis creata, cui connaturale sit lumen gloriæ.

V. THEOREMA.

PRAEDICTVM Lumen, simulquè intellectus ad visionem effectiuè concurrunt; nòn tamen ita stricto, & amicabili fœdere, quòd à singulis partialis virtus præstetur; intellectus namque ratione sui speciali virtute proxima agendi non gaudet, quæ per virtutem luminis, veluti compartialem, ad visionis elicientiam compleatur: itaquè tota, & adæquata virtus proxima agendi visionem lumini supernaturali adaptatur: intellectus autem perfusus lumine gloriæ est causa principalis adæquata visionis; cuius inæqualitas ex sola luminum diuersitate pensatur.

(***)

VI. THEOREMA.

PRINCIPIUM Alterum ex parte obiecti se tenens, quo per modum fœcundantis, & determinantis indiget intellectus ad elicientiam visionis, species nuncupatur apud Phylosophos: in Beatis tamen hæc nō datur, quę sit aliquid creatum, inhærens, distinctum, identificatumvè cum lumine, sed ipsa Essentia Diuina immediatè per sé vnita intentionaliter intellectui Beati ipsum reddit fœcundum, & in actu primo determinatum ad visionem Beatam; si fortè tamen pro suo libito quis speciem creatam fingere velit, per illam neutiquàm clarè Diuina Essentia videbitur.

VII. THEOREMA.

IMPLICARE Omninò speciem expressam creatam Deum clarè repræsentantem, non solùm de facto, sed etiam de possibili sentimus. Beatus intuens Deum, sic in eiusdem perfectiones tendit, vt quidquid in ipso formalitèr adest, attingat, essentiam nempe, attributa, & personas; neque hoc ex sola intuitiuæ visionis connaturalitate nascitur, sed ab essentialibus eius petitur, itaut nullatenùs euenire queat talis visio cùm sola perceptione cuiuslibet Diuinæ perfectionis: ex suppositione autem, quod ita eueniret, visio Beatifica non foret, quia de ratione huius est videre Deum, prout est in se.

(*.*)

VIII. THEO-

VIII. THEOREMA.

MAIESTATEM D. altitudine diuitiarum fruentem eiusdem alta sapientia, & scietia indigitat; cuius nobilissimæ perfectionis, sicut & diuinarum aliarum, profundus, & fidelis scrutator Angelicus Magister apprime illam ex immaterialitate deduxit, recte inferens Deũ intelligentem esse, quia immaterialis existit; vnde formalitas scientiæ Dei naturam, ac intellectum afficit; nõ vtcumque, sed adhuc in vi propriæ significationis scientiæ, repulsis tamen ab ipsa imperfectionibus, quę eandem, prout in nobis, comitantur. Scientia sic strictè accepta rationem attributi obtinet.

IX. THEOREMA.

ESSENTIALE, & metaphysicum constitutiuum naturæ diuinæ, prout ab attributis, & relationibus nostro modo intelligendi distinctæ, intra intellectiuæ lineæ cancellos, & in illa, non in actuali intellectione, sed potius in radicali intelligere collocandum est. Obiectum per se primarium, & formale essentialis intellectionis, per se ipsum, tanquam per speciem cognitum, existit Essentia Diuina, non, vt præcisa ratione nostra ab attributis, & relationibus, sed vt continet id, quod est in Deo formaliter sub formali, & propria ratione actus puri. Creaturas posibiles cognoscit Deus, non per propriam speciem, sed in Diuina Omnipotentia, vt in medio.

¶¶ X. THEO-

X. THEOREMA.

SCIENTIA Dei iuxta obiecti secũdarij diuisionẽ strenuè diuiditur. Itaquè præter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, conditionatam circa conditionata futura ex D. decreto (intellige ex parte obiecti solummodò) sustineo. Futura conditionata absoluta Deo esse præsentia ab æterno, non solùm in esse obiectiuo, sed etiam secundum suas actuales existentias, quas habitura sunt in tempore defensamus; eaque etiam cognoscit in decreto suo absoluto, & ex se efficaci, & in sua essentia per tale decretum determinata, & in auxilio efficaci, quod consistere in quadam congruitate morali, & physica prædeterminatione nobis arridet.

XI. THEOREMA.

DEVM Optimum Maximum, qui omnia secundùm consiliũ volũtatis suæ, vt testatur Apostolus, operatur, voluntate gaudere, fidei lumine, & elucentibus naturæ captus scintillulis nouère cuncti, ità, vt nemo, adhùc delirantium hæreticorum ausus contraiuerit vnquàm. Eius existentiam, efficaciter satis, D. Thomas Theologicæ lucis viuus fons ex intelligendi gradus amica manu, atquè constricto necessitudinis nexu, & essentiali cum volitiuo cognatione deduxit. Est in Deo voluntas per modum actus purissimi, nulla interueniente formalitate media, per modum principij proximi, inter actum secundum volitionis, & naturam Diuinam, adhùc solùm eminenter formaliter distincta a volitione ipsa.

XII. THEO-

XII. THEOREMA.

IN sanum eſt Dei voluntatem ad ſuā ſummam bonitatẽm coarctare, vt extra ſe aliquid velle nõ poſsit, vult vtiquè, ac diligit; ſola tamẽ increata bonitas obiectũ formale primarium, tàm motiuum, quàm terminatiuum, omnium actuum Deificæ voluntàtis extat; bonitas verò creata, & quidquid extra Deum eſt, dumtaxàt obiecti materialis, & ſecũdarij dignitate fruitur. Deus ſe ipſum, vtpotè bonitate ſumma pollentem, ineffabili, non libero, ſed neceſſario, non ſolum quoàd ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium, amore proſequitur. Creaturæ futuræ, & exiſtentes liberè abſolutè, & ſimpliciter diliguntur à Deo; haùd conſimiliter ſentiendum eſt de poſsibilibus, etiàm ſi de amore inefficaci, & ſimplicis complacentiæ fiat ſermo.

XIII. THEOREMA.

OPTIMA eſt D. voluntatis diuiſio in antecedentem, & conſequentem: quarum prima voluntas ſecundum quid; ſecunda autẽ ſimpliciter, & abſolute talis appellãda eſt. Etſi infinita perfectio D. voluntati in ſua linea adaptetur, eã tamen de conceptu quidditatiuo eſſentiæ, ſeu naturæ D. non licet proclamare, attẽtis formalibus conceptibus, quibus perfectiones Dei intelligimus. Deus omnia operatur ad extra ſecũdum conſilium ſuæ voluntatis: vnde fidei dogma conſtãs eſt Deum libera frui voluntate, ſed non æquè certum, in quo talis libertas conſiſtat; facilius namque eſt, quid non ſit explicare, quam quid ſit affirmatione ſtabilire.

XIV.

XIV. THEOREMA.

ACTVS liber Dei non rectè constituitur per actualitatem necessariã, & additum ad creaturas respectũ rationis: non per extrinseca complementa, nec per intrinseca, nec per entitatem actus necessarij, vt ad creaturas liberè terminatam, estò hic modus magis ad veritatẽ accedat. Probabilius tamen censeo formaliter consistere in quadam formalitate virtualiter distincta à Diuina Essentia, & Diuina voluntate, & virtualiter contingente, hoc est, quod ita eliciatur à Diuina voluntate, & sit in illa virtualiter, vt potuerit nõ elici à prædicta Dei voluntate, ac nõ esse in illa virtualiter.

XV. THEOREMA.

IN sacris Scripturis per spiritum nobis datur homines prædestinari à Deo. Prædestinatio, vt D. Augustinus testatur, est *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumquè liberantur*. Inter omnes actus intellectus diuini ad constitutionem prædestinationis requisitos sentimus solùm formaliter consistere in actu iudicij, qui Diuini intellectus imperium nuncupatur. Decretum Diuinum ergà electorum salutem certissimum est, & infallibile, nec tamen propterea nostra periclitatur libertas; manet namquè integra, & illęsa absolutè, & simpliciter.

XVI. THEO-

XVI. THEOREMA.

EX parte nostri nulla causa nostrę prędestinationis datur, à solo Deo ex meritis Christi fit. Inter Diuinæ prædestinationis effectus, alij sunt quoad substantiam, ij scilicèt, quorum existentia à decreto Diuinæ prædestinationis habet ortum: inter quos præter vocationem, iustificationem, & glorificationem, peccati permissionem enumera; peccata autèm seclude: alij tandèm sunt, quoadmodùm, ij scilicet, quorum existentia præcedit decretũ, ordinantur tamèn à Deo ad electorum prouentum, de quorum serie sunt totus naturæ ordo absolute consideratus, substantia ipsius prædestinati, & omnia accidentia naturali emanatione ad ipsam consecuta, cum eaquè necessario connexa.

XVII. THEOREMA.

DIVINAM voluntatẽ glorię efficaciter intẽtiuã quibusdã præalijs, nequaquã meritorum formalem præuisionem supponere affirmamus; quarè tàm lõgè abest, vt præuisionem meritorũm expectauerit, quod ante præuisa merita efficaciter nos elegerit. Reprobatio alia negatiuã, positiua alia, illius ex parte nostri nulla assignatur causa, huius peccatũ præuisum. Abeat ergò qui reprobos ad flammas destinatos sustinet ante demerita præuisa, dum nos cum magno prædestinationis Oraculo dicimus: Deus saluare potest sine meritis, quia bonus; damnare non potest sine demeritis, quia iustus; preter quam quòd hic modus operandi Diuinã commendat misericordiam.

XVIII. THEOREMA.

NON ex quacumque peccati præscientia Deus homines æterna damnatione intendit afficere, sed tantum ex illa, qua peccatum, siuè originale, siuè actuale, morte consummari respicit. Peccatum quodcumque sit, vel ipsius permissio a ratione effectus reprobationis relegatur; est namquè reprobatio præscientia culpæ non finiendæ, & præparatio pœnæ non terminandæ: vnde effectus ipsius, quoad substantiam, est sola executio punitionis æternæ. De reprobationis formali constitutiuo, vtpotè prouidentia, idem, quod de prædestinatione, fatemur; quia, quamuis in Sacra pagina Sanctisquè Patribus nomine odij designetur, hoc solum conuincit ipsam adæquatè sumptam actum voluntatis indispensabiliter prærequirere, non tamen quod eius formalissima ratio, aut essentia saluetur in illo: itaque pertinere defendimus ad actum imperij cum connotatione ad actum voluntatis.

Q. P. VOX DABIT RESPONSVM.

Palestrita aderit responsurus Fr. LUDOVICUS MONTIEL Vera-Crucis Salmãticensis Collegij alumnus, pro Comitijs Prouincialibus florentissimæ Matris Vandalicæ Prouinciæ Militaris, Regij, Sacratique Ordinis Redemptorum Illibatæ Deiparæ de Mercede.

Sub præsidio R. A. P. M. Fr. FRANCISCI de la ROSA Sacræ Inquisitionis Senatus Qualificatoris.

Palestræ locus Regius Hispalensis Conuentus. Die mensis Maij. Anno à Redemptione mundi 1665.

Astante Rmo P. N. M. Generali.

GRANATAE,

Ex Officina Regia Balthasaris de Bolibar, in Angiportu de Abenamar.
Anno 1665.




SANTIS FVN DAMENTA EIVS IN MONTIBVS